



INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCXXXVIII.

1849

A D. XVI. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI

HABEBVNTVR.

*C. Sackmann  
De Jac. Luchsi poetae saturarum  
libris*

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS.



INDEX

LECTIONVM

QVAE

AUSPICIS REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI QVARTI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCXXXVIII

1849

A D. XVI M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI

HABEBVNTVR.

*C. Lachmann*

*De Jai Lucili poetae saturarum  
libris*

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS.

1971

# LECTURE

1971

LECTURE

# LECTURE

LECTURE

LECTURE

LECTURE

LECTURE

UNIVERSITATIS LITTERARIAE

FRIDERICAE GVILELMAE

RECTOR ET SENATVS.

**Gai Lucilii**, Gracchanorum temporum poëtae, saturarum versum primum his verbis conceptum fuisse Varro auctor est,

*Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus.*

neque incredibile est poëtam post studiorum graviorum et vulgo probatorum enumerationem ad suum satiricae poësis genus transeuntem scripsisse

*Quis leget haec?*

nam ad Persii versum secundum satirae primae, qui est huius modi, *Quis leget haec? min tu istud ais? nemo hercule: nemo?* scholiastes haec adscripsit, „*Quis leget haec?* hunc versum de Lucilii primo transtulit;” quae cavendum est ne de toto versu accipiamus: is enim tam anguste scriptus est ut ab ubertate Lucilii quam maxime differat; sed Varronis verba, quae sunt in libro v de lingua Latina p. 9, 1, curiosius, ne forte fallamur, expendenda sunt. quae cum in Florentino codice, e quo ceteros universos prodisse constat, hoc modo scripta sint, „A qua bipertita divisione” (caelum et terram dicit) „*Lucretius suorum unum et viginti librorum initium fecit hoc,*” multi olim intellexerunt in his Varronis libris quotiens *Lucretii* poëtae mentio fiat, scriptorem de *Lucilio* sensisse: numerus autem librorum, quem corruptum esse apparet, nondum satis probabili ratione disputatus est. nos igitur huic sententiae argumenta dicemus, Varronem scripsisse videri *suorum ū et viginti librorum*; quod si plane efficere non poterimus, certe vel *trium* vel *III et viginti* scribendum esse vincemus: denique cur Varro viginti et paulo plurium librorum quam, quod erat, totius operis et omnium triginta librorum initium dicere maluerit, quoad fieri poterit, exponemus.

Itaque quod alios iam dixisse scimus, Lucilii librorum duo distincta *συστήματα* sive volumina fuisse, id accuratius tractatum nobis vindicabimus. ac primum quidem quo metri genere quisque Lucilii liber scriptus fuerit cum multos dubitare videamus, nos, postquam singulos Lucilii versus diligenter excussimus, exploratissimum habemus libros XXIII primos uno eodemque metri genere, versibus hexametris, scriptos fuisse, nisi quod unius et vigesimi nulla extat memoria, alter et vigesimus aut totus aut ex parte distichis elegiacis constitit; contra in quinque libris postremis polymetrian fuisse, sextum et vigesimum eumque qui ab hoc proximus fuerit trochaicis septenariis compositum, duodetragesimum iambicis senariis, undetragesimum et septe-

nariis et senariis, trigesimum autem hexametris. tertium et vigesimum, ut priores, hexametris perscriptum fuisse uno Prisciani testimonio intellegitur, p. 884. de vigesimo quarto et quinto certi nihil constare potest, quandoquidem ex his nullus versus numero libri addito prolatus est; quamquam hos in prioris partis fine positos fuisse ideo veri similis esse ducimus, quod Nonium, quem priore volumine in fine mutilo usum esse scimus, alterum a principio duobus libris truncatum habuisse non nimis probabile est. hunc enim duo volumina versavisse ex eo perspicuum est, quod quinque postremos simpliciter *libros Lucilii* numerat, primos viginti duos autem, nisi quod vigesimo primo non utitur, plerumque dicit *saturarum libros*. hoc enim casu fieri non potuit, casus ut aliquando non fieret, efficere potuit. quare facile serimus libro XVIII ne semel quidem adscriptum esse *saturarum*, et p. 21, 4 *sentel* haberi *saturarum lib. XXVII*: neque Basileenses p. 399, 13 et 497, 30 *satyrarum lib. XXVIII* et *XXVI* quo iure scripserint scire possumus, quoniam id ante se neminem dedisse, ne dixerunt quidem. sed in hac de Luciliani operis voluminibus quaestione in primis memorabile est, quod tamen ab aliis nondum observatum vidimus, A. Gellium in Atticis noctibus priore volumine solo usum esse. hic enim quos librorum numeros posuit, ii ultra vigesimum non progrediuntur, neque ab eo ullus Lucilii versus prolatus est qui non esset hexametrus. sed loco eodem habere non oportet quae ipse se ex Tironis epistula et a Sulpicio Apollinare sumpsisse dicit, libro VII, 3 et XVI, 5; quorum alterum e libro Lucilii XXVI esse Nonius p. 186, 32 testatur, alterum potuit in XXIX expositum esse, e quo versum a re non alienum idem Nonius profert p. 234, 26.

Iam vero cum omnia Lucilii poemata in duas partes distincta fuisse constet, si eae partes Varronis aetate nondum certum ordinem habuerunt, ne potuit quidem earum alterutrius initium alio modo indicari, nisi ut aut quinque aut XXV librorum initium diceretur. contra si illo iam tempore certus ordo fuit, idemque ab eo quem postea omnes summa constantia tenuerunt non diversus, Varro certa aliqua ratione permotus XXV Lucilii quam XXX libros dicere maluisse censendus est. quam rationem, si modo, ut diximus, ulla fuit, a nobis certo cognosci non posse mirabile esse non debet. quod si in re incerta probabilitatem sequimur, non inepte nobis videmur dicere posse Lucilium illos quinque libros, qui postea ultimi fuerunt, fortasse prius quam ceteros XXV edidisse. nam cum Ennius suos saturarum libros prope totos versibus septenariis senariis Sotadeisque conscripsisset (certe unus tantum modo versus hexameter dactylicus superest a Servio ad Aeneidos XII, 120 e libro secundo prolatus, *contemplor Indo loci liquidas pilatasque aetheris oras*); cumque post eum L. Attius in didascalicis, quod genus videtur proximum fuisse saturae, nullis aliis versibus nisi Sotadeis usus esset, potuit sane Lucilius primo tempore suam saturae genus, veterum exemplum secutus, versibus comicis potissimum instituere, eidemque postea illos versus longos, ut nobiliores, solos vindicare. hoc si ita fuit, Horatius in ea re Lucilii iudicium secutus est, cum M. Varro in Menippeis suis veterem polymetrian, sed eam cum summa elegantia excultam, imitari maluisset.

Verum haec quocumque modo existimabuntur, nullo certe modo fieri potuit ut illa prior Luciliani operis pars, quam Varro libris plus quam viginti constitisse testatur, aliquo tempore *liber prior* Lucilii diceretur. quod quia non nulli aut uno aut duobus aut tribus auctoribus testatum referunt, de horum auctoritate quaerere oportet curiosius: ergo hi testes duo sunt, non tres; nisi Franciscum Iani filium Douzam ea de causa inter veteres testes audiendum putamus, quod is selecta aliquot Acronis et Porphyriionis scholia e libris impressis petita, in Porphyrione tantum ab exemplari antiquo adiutus, Cruquianae Horatii editioni adiecit. itaque Acron cum ad Horatii sermonum II, 1, 22, apud Fabricium p. 344, apud Douzam 691, de Pantolabo et Nomentano haec feratur scripsisse, *Nomina sunt luxuriosorum, quos etiam in priore libro Lucilius carpsit*, dubitandum non est quin C. F. Hermannus verissime dixerit priorem Horatii librum intellegendum esse, non Lucilii. Nomentani enim cuiusdam Lucilium mentionem iniecissee scimus, sed qui illo non Horatii tempore vixisset, quippe cui in libro saturarum secundo mortem imprecatus esset. is versus apud Donatum ad Phormionem 1, 2, p. 440 parum emendate scriptus extat; quem, quia allitteratione vix carere potest, hoc modo satis probabiliter restitui posse existimamus,

*Qui te, Nomentane, malum iam pectori perdat!*

cum exemplaria vulgo ferant *iam cetera perdat*. itaque rei per se incredibili perturbata ista Acronis scholia fidem facere non debent, et multo minus Franciscus Douza; quo ipso auctore, ad Horatium p. 691, in Lucilianis p. 11 et 104, notissimum hunc Maronis versum, qui est in Aeneidos I 676, *Qua facere id possis nostram nunc accipe mentem*, Lucilio adscribere iubemur, cum in Acronis Fabricii ad serm. I, 4, 87 recte scriptum sit *ut poeta*, non *ut Lucilius*. ceterum non dissimiliter falluntur qui aut Probum de nomine p. 217, hoc est librarium Bobiensem, aut coniecturam suam secuti *Lucretium Luciliumve metrum custodientem anciliorum* dixisse existimant, cum grammaticum Horatii nomen posuisse perspicuum sit. sed tempus est ut alterum testem prodire iubeamus Acronem, si speciem considerare volumus, longe locupletio-rem. in rhetoricis ad Herennium libris, quorum vetustissima exemplaria valde corrupta atque interpolata esse constat, libro IV, 12, 18, ubi agit auctor de verborum traiectione parum concinna, Lucilium in eo vitio dicit esse adsiduum; *ut hoc est*, inquit, *in priore libro, Has res ad te scriptas Luci misimus Aeli*. hic primum Lucilii versus perturbate scriptus est: neque enim in eo ulla insignis aut impedita verborum traiectio est, neque poetae saeculi ab urbe condita septimi versus vitiosos fecerunt, sed dum taxat minus concinnos, itaque hic versus Lucilii hoc modo scribendus est,

*Has, Aeli, res ad te scriptas misimu', Luci.*

deinde hunc versum scriptor non ea de causa improbandum duxit, quod a Lucilio esset *in priore libro* positus, sed quod eum *in primore libro* collocasset, in qua parte vitiosa vel parum suavia etiam ab imperitioribus et minus curiosis caveri solent.



Haec quae diximus ita manifesta sunt, ut ea et invenire quisvis possit et probare debeant omnes. sed quotus numero liber is fuisset, quem Lucilius ad Lucium Aelium scripsisset, sine ulla dubitatione dicere possemus, si Verrius Flaccus libros Lucilii suis numeris designasset. quod quoniam ille nunquam fecit (nam quis eo argumento semel factum dicat, quod apud Festum in lacinis paginae 174, 8 habetur *L. II. obscae*, ubi Pauli haec sunt, *Noctilugam Lucilius cum dixit, obscenum significat*), nunc nihil amplius intellegere possumus, nisi in pagina Festi 294, 27 eiusdem libri versus quinque superesse, in quibus dubium non sit quin poeta Lucium alloquatur. scimus quidem eos viros doctos qui hos versus emendare temptaverint, Schligerum, Lindemannum, O. Müllerum, *Luci* nomen vocandi casu positum, sine quo structura orationis labat, non agnovisse: sed iidem ne *iurgia* quidem ea, quae Festus in his versibus significata esse testatur, ut iis inessent effecerunt: quare non libet horum commenta excutere, praesertim cum Müllerus ipse p. 406 de suis versibus dicat Lucilium eius modi dubentos in uno pede stantem fundere potuisse. nobis, postquam primum rem et formam orationis, deinde verba, quaesivimus, haec quae subiecimus urbanitate Lucilii non indigna visa sunt.

*Cornelii Publii noster*

*Scipiadas, dicta Apulu' dum usque intorquet in ipsum,*

*Oti a deliciis, Luci, effeto atque cinaedo et*

*Sectatori adeo ipse tuo quae rectius dicas,*

*Ibat forte domum. sequimur multi atque frequentes.*

in his *Apulus* tantum experiundi causa, et ut sensus impleretur, a nobis infultum fatemur, ubi in exemplari Festi haec sunt, *dicto tempusque intorquet*. licet alia temptare ac potius ludere, veluti hoc, *dicta impurus dum intorquet in ipsum*: sed *dicta* et *dum* certissima sunt et ad orationem sustentandam necessaria. in ceteris quae perversa erant leni manu infleximus, *Oti et deliciis luci effictae*, et *adeo ipsi suo quo rectius dicas*.

Haec eo consilio disputavimus, Commilitones carissimi, ut vos ad eas litteras, quibus meus moresque et iudicium excoluntur, vel in summo patriae discrimine fideliter tractandas adhortaremur. finem autem scribendi faciemus in versibus Lucilii, quos ex libro xxvii petitos Nonius rettulit p. 308, 24 et p. 37, 22 28, quibus homo optimus quid se, cum ad summam rem publicam gerendam natus non esset, agere deceret antiqua et ingenua simplicitate declaravit.

*Rem populi salute et fictis versibus Lucilius,*

*Quibu' potest, impertit, totumque hoc studiose et sedulo.*

quibus preces subiunxisse putandus est: harum enim idem Nonius p. 472, 15 hunc unum versum servavit, quo poeta aut Iovem optimum maximum aut Fortunam allocutus fuerit,

*Sospita, inperti salute pluruma et plenissima.*

Handwritten text, possibly a name or address, located in the top left corner of the page.

Handwritten text, possibly a date or time, located in the top center of the page.

Handwritten text, possibly a name or address, located in the top right corner of the page.

Handwritten text, possibly a name or address, located in the middle left of the page.

Handwritten text, possibly a name or address, located in the middle center of the page.

Handwritten text, possibly a name or address, located in the middle right of the page.